C. S. 10. Decemb. 1658.

VOTA, ET MOTIVA A PROCESSV ILLVSTRIS DON PETRI PAVLI XIMENEZ DE VRREA, DE FIRMIS IVRIS, SVPER POSSESSIONE DEL OFICIO DE REGENTE LA GENERAL GOVERNACION DE ARAGON.

IN CVRIA ILLVSTRISSIMI DOMINI Iustitiæ Aragonum.

IN DEI NOMINE, Amen. Nouerint vniuersi, quod anno computato à Natiuitate Domini nostri Iesu Christi millesimo sexcentesimo quinquagesimo octauo. Die vero quæ computabatur decima mensis Decembris apud Ciuitatem Cæsar-Augustæ, & in Camera Consilij Curiæ Illustrissimi Domini Iustitiæ Aragonum, absentibus Illustribus Dominis Doctoribus Iosepho Ozcariz, Carolo Bueno, Iosepho Martinez, Ioanne Hieronymo Orcau, & Martino Francisco Climente, Locumtenentibus ordinarijs, Illustrissimi Domini Don Michaelis Hieronymi de Castellot, Militis, Maiestatis Domini nostri Regis Consiliarij, ac Iustitiæ Aragonum, pro suspectis datis, & declaratis in processu inferius intitulato, & pro eis præsentibus Illustribus Dominis Doctoribus Francisco Zepera, Didaco Hieronymo Costa, Lamberto Vidaña, Iosepho Francisco Molès, & Petro Sarria Locumtenentibus extraordinarijs dicti Illustrissimi Domini Iustitiæ Aragonum, coram quibus fuit positus processus Illustris Don Petri Pauli Ximenez de Vrrea de, firmis iuris

su-

ſuper poſſeſsione, de Regente el Oficio la General Gobernacion de Aragon. In quo tam dictus Dominus Doctor Franciſcus Zepera dictæ cauſæ Relator, quam alij Domini Locumtenentes concordes, fuerunt voti, & opinionis, quod tenetur, & debet pronuntiari Illuſtrem D. D. Petrum Paulum Ximenez de Vrrea, non fore partem legitimam, nec audiēdum ad proſecutionem dicti proceſſus, & cauſæ, & in ea non fore procedendum ad vlteriora; prout per Franciſcum Didacum Pauzano Procuratorem ſupplicatur, neutram partium in expenſis condemnando, cætera ſupplicata locum non habere. EX EO, & aliàs prout in ſententia pronuntiatur, nam iuxta legalem diſpoſitionem Fori vnici titulo. *Quod Regens Officium Gubernationis ſit Miles ſimplex*, ad ingreſſum dicti Regentis Gubernationis Officij, illiuſque continuationem, progreſſum, & exercitium, tantum admittuntur illi, qui ſimplicis militiæ qualitate gaudent, ac prærrogatiua: ea ratione, vt ſi per eos aliquid fuerit effectum quod Foris, priuilegijs, libertatibus, Regnive conſuetudinibus repugnet, pœnæ corporales, & condignæ (licet non talionis vt aliqui voluerunt) eis imponi valeant. Tum & etiam; nam cum primitiuis illis temporibus, ante noſtri Fori ædictionem, per magnas perſonas, magnique ſtatus, dictum regeretur Officium, conatæ fuerunt, libertates, Foros, priuilegia, Regnique conſuetudines, magna cum opreſſione, & detrimento infringere; de quibus Regnicolæ, non poterant, iuſtitiæ conſequi complementum; Imo, & ob eorum potentiam, nec poterant, nec de eis audebant cōqueri: ob idq; Dominus Rex Petrus (nomine IV. licet in Fororum æditione ſecūdus) volens huiuſcemodi damnis, conuenientem adhibere medelā, de aſſenſu pariter, & voluntate Curiæ, ſtatuit: quod deinceps, Officium Regentis Gubernationis, per Militem ſimplicem, & naturalem, in perpetuū regeretur, vt de ipſo, iuſtitiæ poſſet complementum,

tum,etiam per corporalis, & condignæ pœnæ impositionem haberi. Tum. & etiam vt Regnicolæ, & possent, & auderent de eo faciliter, hoc est bono conquæri modo. Cum ergo plenè, ac notoriè in præsentiarum,de nobilitate Illustris Don Petri Pauli Ximenez de Vrrea constet, ex declaratione per Regiam huius Regni Audientiam ad illius fauorem factam, ipsi tamquam legitimo successori, Arandensem Comitatum adiudicando, ob idque ratio finalis dicti Fori, non solum quatenus pœnæ impositionem respicit,sed, & quatenus simplicẽ militiam requirit, necnon facilem ad quærelam additum, in eo verificari non possit: Non enim Nobilis secundum Forum, pœnis subijcitur corporalibus, nec de ipso possent Regnicolæ, bono modo conquæri,neque iustitiæ consequi,provt decet complementum; Merito non fore partem, nec amplius,quam super cognitione huius exceptionis audiendum,ad litem ab eo inceptam, & in possessione fundatam prosequendum, neque in ea ad vlteriora procedendum,in præsenti declaratur; Per ascensum, siquidem ad Nobilitatis gradum, tacite huiusmodi Officium,ab ipso videtur renuntiatum,cum,& qualitas Nobilitatis, & Regentis Gubernationis Officium,in simul compati nō possint,sicque vacans,tam de iure, quam de facto,dictũ Officium reputatur, ita vt libere possit Catholica, & Regia Maiestas,illud cui velit conferre: Assumens enim voluntariæ, qualitatem, Officij quod possidet retentioni contrariam,illud renuntiasse,nō dubitatur. Nec nostram infirmare valebunt sententiam, quæ exaduerso obijciebantur,non primum (vt omnia successiuo ordine dissoluamus) quo contendebatur probari,non debere Dominos Diputatos audiri,ad huiusmodi causam,per exceptionem ab eis propositam dirimendam; Cum sit eadem actio,in iudicio ab actore,& deducta,& præuenta. Hæc enim facile diluitur obiectio animaduertendo, quod licet possit

actor,exceptionem, quæ alias ſibi competebat, in modum actionis,iudiciumque præueniendo proponere, non tamen idem,in exceptione reo competenti, efficere poterit,nec ſi effecerit, hęc cautela actori prodeſſe debet,dũ hac præuentione naturam notoriæ exceptionis obumbrare nititur, aut hoc ſolo prætextu, quod fuit per viam actionis in iudicium deducta dubiam reddere; hoc enim eſſet per indirectum,illi defenſionem auferre, ipſumque contra expreſſa vtriuſque iuris, & fori teſtimonia longitudine litium, & ſumptibus vexare. Cumque Dominis Diputatis,tanquam reis,contra dictum IlluſtremDon Petrum,ob Nobilitatis adquiſitionem, virtute repoſitionis, & declarationis in eius fauorem factæ, clara, & notoria competat exceptio, poſſeſsionem, & titulum anteriorem actoris, ad nihilum redigens, nihil mirum, quod ad opponendam, dirimendamque cauſam per viam exceptionis admittantur, & non obſtet, quod per modum actionis ſit ab actore deducta. Quinimò allegatio huius exceptionis, in libello Comitis facta, non ſolum ei non prodeſt,ſed obeſt,nã ex recepta ſententia, quãdo ex narratis in libello, apparet exceptio peremptoria,contra ipſum agentem(vt contingit in præſenti)excluditur intentans iuditiũ, vt lis non ſit conteſtanda, & excluſio intelligitur prouenire ex eius confeſsione.Nec quidquam facit aſſerere,quod Forus noſter, neque in rubro, neque in nigro, aut in eius finali ratione, prohibuit Nobilibus,Officij Gubernationis obtentionem: Ex ſola enim forali lectura,diſſoluetur difficultas, Rubrum namque, expreſſæ ait.Quod Regens Officium Gubernationis ſit Miles ſimplex, cumque perfectam in ſe orationem contineat, ſitque etiam,qualitatis, quam dictus debet Regens obtinere præceptivum,nulli dubium eſt, quin textualis diſpoſitionis,vim obtineat,& iuris: In nigro, Nobiles etiã excludi, dubitari non debet;quamvis enim ſolum de milite natu-

ra-

tali (omisso verbo simplici) egerit, cum tamen sub prædicta rubrica, loquente, imò & disponente, quod Regens sit simplex Miles, colocatū existat, non potest nō de simplici intelligi Milite; alias dicere cogeremur, improbe nostrum Forum, sub tali rubrica, cum ei nō conveniret, collocatum: Euidentiusque ex ipsa lege, eiusque verbis colligitur, dicit enim, quod non eodem modo puniuntur nobiliores, sicut inferiores, deinde prosequitur, *sitque expediens Reipublicæ per tales Officia regi, & exerceri aduersus quos si cōtra Foros, priuilegia, libertates, vsus, & consuetudines Regni per eosdem factū fuerit, seu etiā iudicatum pœna condigna insurgant.* Pergit præterea, & disponit, quod Officium Gubernationis in perpetuum regatur per Militem naturalem, & domiciliatum, si ergo Forus vult, dictum Officium per Militem Regi, aduersus quem, pœnæ corporales, & condignæ, locum habere possint; Et hæ contra Militem Nobilem militare, seu exequi non possunt, nonne exprese ex verbis colligitur, Nobilem ab exercicio dicti Officij fuisse exclusum? Nullus dubitabit. Nec ad rem facit asserere, nostri Fori dispositionem, vsu receptam non fuisse; Post eius siquidem æditionem, quam plurimos ex Nobili familia viros, huiusmodi Officiū occupasse, Historiographos, referre aiunt; Vltra quod plus quam certum esse asserunt, numquam simplicem Militem tantum, illud obtinuisse, sed cum militia, Mesnadarij concurrente qualitate. Nam respondetur, quod si rectæ Historiæ perpendantur, neutiquam ex eis resultat, Nobiles, post nostri Fori æditionem, Regentis Gubernationis Officium obtinuisse, sed tantum ab eis colligitur, eos, qui illud rexere, ex Nobili fuisse familia ortundos, non de illa superioris gradus Nobilitate loquendo, quæ ad obtinendum prefatum officium, incompatibilitatem inducit, sed de illa tantum primitiua, & apud omnes communi Nobilitate, quæ à nostratibus *Infantionia*, ab alijs verò *Hi-*

 dal-

dalguia vocatur, quam distinctionem, & noster Forus cognouit, vt colligitur ex verbo *Nobiliores* in eo possitum. Et preterea, nullus ex Historiographis concludit, in illo superioris nobilitatis gradu, vt ex illorum lectura videre licet; Et rursus, si aliqui ex prioris gradus Nobilibus extiterint, qui huius Regentiæ preoccupauerint officium, id ex eo permissum iudicabitur, vel quia iam eo tempore, suæ Nobilitatis ex contraria consuetudine, viderunt ocasum, vel quia se inferiorum officijs immiscendo (ipsis Historiographis testibus) pro Militibus tantum, & non Nobilibus, in omnium existimatione habebantur, vt in multis familijs contigisse, Historiæ ipsæ testantur; vel tum denique, quia de eorum Nobilitate non constabat: At in nostro casu, totum contrarium apparet, cum de vera, & incompatibili, superuenienteque Nobilitate, & actu existenti, clarè constet; imò, & addendum videtur, retorquæri posse supradictam obiectionem, quia non solum non constat de pretensa Fori inobservantia, Nobilibus fauorabili, sed potius de vniformi subsecuta obseruantia, vera legum interprete. Si enim post Fori æditionem permissum fuisset, Nobiles ad huiusmodi officium admitti, & nominari, quomodo nec auditum, nec visum est, hucusque post Forum, Duces, Comites, & Marchiones, de Yxar, de Belchite, de Ribagorça, de Villahermosa, de Luna, de Sastago, de Calanda, de Camarasa, & de Ricla, de Morata, de Fuentes, nec ipsosmet de Aranda, aliosve proceres, & Heroes *de las ocho Casas*, seu eorũ filios primogenitos; nec (quod magis est) secundo, nec vlteriori gradu genitos, ad huiusmodi officiũ fuisse nominatos. Non ex alia causa, nisi quia omnes eos, per foralem dispositionem exclusos, habitum est pro re omnino indubia. Quod si ita non esset, non solum multi, iam antea ex prædictis proceribus, & eorum filij, officium hoc obtinuissent; quinimò raro ad Militem simplicem fuisset delapsum, seu à Magnati-

bus

bus(vt ita dicam)ablatum. Tum propter maximum isto-
rum ad suos Principes aditum: Tum etiam, propter ma-
xima,& continuata seruitia,& belli, & pacis tempore fa-
cta; Cum igitur, nō solum, non multi, sed nec vnus inve-
niatur Dux, Marchio, Comes, aut eorū filius, aliusve No-
bilis, de quo constet, quod actualiter, eo tunc nobilitate
gaudens, post Fori æditionem hoc officium habuerit, no-
ua res, certe, ac Foro omnino contraria, quæ ab Illustri
Don Petro Paulo in iuditium deducta est,& prætenditur.
Nec animum in contrarium moueri facit, asserere, Mili-
tes Mesnadarios, & sic non simplices, officium hoc obti-
nuisse, ex quo deduci contenditur, nostri Fori dispositio-
nem, non fuisse praxi receptam; *mesnata* enim, seu *Mes-
nadarius*, nomina sunt communia, tam Nobilibus, quam
Militibus conuenientia, ideo dicti, quia isti mesnatam, seu
stipendium quoddam, ex bonis Regalibus designatū, per-
cipere solebant, non tamen vltra dictum comodum, aliā
qualitatem recipiebant, ob quam propriæ naturæ, egre-
derentur spheram: Cum ergo mesnata non vnius cuius-
que naturam mutet, Nec licet mutet, sit qualitas aliqua,
nostræ foralis dispositionis prohemiali, nec textuali ratio-
ni obuians, nostrum Forum, impracticatum dici non pos-
se, clare constat. Minus officit, quod Nobilitas in Regno,
seu eius effectus, ad officia obtinenda, possunt per re-
nuntiationem ammitti, & se taliter renuntiantes, officia-
lium delinquentium, pœnijs subijci, ad quod tacitam
renuntiationem, per officij adquisitionem sufficere
inquiunt, cum non tantum voluntas verbis, sed & fa-
ctis declaretur. Nam(quidquid sit de renuntiatione No-
bilitatis expressa, an posit, vel non fieri? In quo ob Docto-
rum varietatem, & quia non in præsenti facta reperitur,
iuditium necesse, non est interponere) si tacita renuntia-
tio,& quę per adquisitionem officij, seu voluntatem illud
continuandi supponitur, ad pœnarum subiectionem suf-

ficiens iudicaretur,superflua , nulliusque esset nostri Fori dispositio effectus ; si enim hæc dirigitur ad santiendum, quod solum Regentis Gubernationis officiũ obtineant illi,qui pœnis corporalibus,& condignis subijciuntur , & omnes (provt supponitur) per officij adquisitionem,illis subijcerentur,nihil in effectu,nostra disponeret lex; Cum iam quod intus habebat peteret , & si officij assumptione , & exercitio omnes subiecti manerent ad quid Fori æditio ? Ne igitur supervacua, ac sine effectu , foralis iudicetur dispositio : semper enim leges earumque verba, debent cum ministerio operandi intelligi, talẽ præsumptam , tacitamvè renuntiationem,non sufficere,est dicendum. Ac deinde non solum superflua, sed inepta,& fatua redderetur foralis dispositio , si per tacitam dumtaxat renuntiationem,ex voluntate adquirendi,seu retinendi hoc officium resultantem,Nobiles essent admittendi, id enim esset in effectu,ac si Forus disposuisset, quod Nobiles qui hoc officium noluerint habere,ad illud non admitterentur;nam si qui ei se immiscent,suæNobilitati renuntiant, & capaces efficiuntur , solum nolentes comprehenderet dispositio,quod sane disonum , & ab omni mente alienũ iudicamus. Præterea, nam in nostro casu,non solum expressa (vt diximus) verum & etiam tacita deficit Nobilitatis renuntiatio ; cum enim Illustris Comes, posse se , & Nobilitatem, & officium obtinere asserat , clare colligitur , nec expressæ , neque tacitè suam velle Nobilitatem renuntiare , solumque incompatibilitatem excludere,iuditialiter intendere. Nec etiam obstat dicere,foralem dispositionem,non loqui cum Militibus,qui iam prędictum regendo officium,Nobilitatis qualitatem,de nouo adquisierunt , & quod hi neutiquam â lege debent iudicari priuati. Nam respondetur, foralem dispositionem,non solũ Nobilibus dicti officij ingressum prohibere;verum & etiã illius exercitij progressum , & continuationem , cum, &

vtro-

vtroque tempore, simplicis militiæ qualitatem requirat, ad hoc vt si aliquid cõtra Foros, priuilegia, Regnivè libertates, effecerit Regens, posit, & omni tempore, pœnis puniri corporalibus, & condignis; Si enim Nobilitas superveniens non excluderetur, tota finalis nostri Fori ratio destructa maneret, quod nullatenus ipsa patitur dispositio, cum omnimodam perpetuitatem; imò, & successiuã, & inviolabilem qualitatis durationem, tam tempore ingressus, quam progressus, & exercitij requirat, vt ex illius verbis non obscure apparet: Inquit enim Forus *Statuimus, & ordinamus in perpetuum, quod deinceps officiũ Gubernationis regatur, & regi debeat, per Militem naturalem, & domiciliatũ in Aragonia, qui vtatur debeat, & habeat vti dicto officio &c.* Quæ verba, expressam qualitatis simplicis Militiæ, omni tempore, necessitatem important, ac per consequens, precissam inducunt formam; hæc autem destrueretur, si Nobilitatis superuenientis qualitas, non obuiaret progressui. Ne igitur formã, dispositionemque legis, frustrari dicamus, secure est tenendum, Forum etiam nostrum, cum Militibus aloqui, qui officium Gubernationis regendo, Nobilitatis qualitatem adquisierunt: Hæc enim est communis limitatio, ad vulgatam iuris regulam, *factum legitimè nõ retractatur quãdo scilicet res peruenit ad casum, à quo incipere nõ potuit.* Nec dictis obstat asserere: quod verbum *sit* in Rubro positum, est præsentis temporis, actualemque denotat existentiam, cui iungit obiectio, Illud iuris brocardicum, *qualitas adiuncta verbo, debet secundum tempus intelligi verbi.* Ex quibus deduci vult, simplicis Militiæ qualitatem, solum tempore ingressus requiri; huiusmodi namque Regula, non procedit, quando qualitas verbo perpetuitatem, & durationem inducenti adiungitur, prout eam inducit verbum *sit* in Rubro positum; licet namque de præsenti loquatur, & ingressus, & progressus tempus

comprehendere, non est dubium; quod & magis procedit, quādo ex alia dispositionis parte apparet, quod qualitas verbo iuncta, fuit per modum permanentis posita, & quod tractum habet successiuum; Tunc enim, licet sit iūcta verbo, non tamen intelligitur, secundum tempus verbi, sed cum tractu successiuo: Verba autem nostræ foralis dispositionis, omnia ad exercitium diriguntur (vt iam supra diximus) ac per consequens, ad inducendam qualitatis permanentiam, & durationem. Nec ad rem facit asserere, Forum nostrum, esse facultatis antiquæ eligendi Nobiles ad huiusmodi officium correctorium, sicque non debere, ad casum qualitatis supervenientis, tamquam non comprehensum extendi. Nam iam ex dictis apparet, esse huiusmodi casum, expressæ in dispositione comprehensum, cum semper hæc requiratur qualitas, quę pœnæ corporalis, & condignæ impositioni non obuiet, non enim solum dicitur expressum, quod ipsa littera expresè canit; sed, & illud, quod sub ipsius verbis continetur. Instantia autē de primogenio, seu maioratu facile diluitur; si enim in illius erectione, apponatur clausula, seu conditio, certam requirens, & permanentem, qualitatem, hac deficiente, deficiet & etiam maioratus possessio, vt si dictum fuerit non possit frui, vel habere maioratum, si vero qualitas, successionis tempus tantum respiciat, sitque momentanea, licet post delatam successionem deficiat, non reddetur possessionis incapax, maioratus possessor. Nec obstat assercre, quod Nobilitas ab Illustri Comite per repositionem adquisita, est reuocabilis, cum adhuc sub Iudice lis sit, pendeatque per viam recursus causa, in præsenti Curia. Nam respondetur, quod quamuis reuocabilis sit sententia, per quam fuit Nobilitas adquisita, negari tamen non potest, quod dum non reuocetur, vere dictus Illustris Comes Nobilis existit, talisque priuilegijs gaudet, & prærrogatiuis, ac per consequens incapax ad obtentionem, re-

tentionemque dicti officij;cum pœnæ corporales condignæ,si contra Foros,priuilegia,libertates,vsus, & consuetudines Regni , interim effecerit , in eum insurgere non posint,& in pendenti , non possunt esse , seu à futura reuocatione, vel confirmatione repositionis pendere , quæ gesta , hoc medio tempore forent, per Regentem officiũ Gubernationis. Præterea,cum huic cumulatiuè qualitas *de Grande de España* iungatur , hæc à Don Petro separari,seu tolli iam non poterit, licet repositio reuocaretur, & licet ex processu hoc non probetur , Notorium tamen est , & ob id non Egregij , sed Illustris titulum concedimus, ideoque etiam hoc libuit adnotare,licet non vt necessarium. Nec argumentum de beneficiorum incompatibilitate quidquam officit;magna enim,inter ius Canonicum,& nostrumForum,differentia versatur,illud namque , solum incompatibilitatem , per pacificam secundi beneficij possesionis adeptionem inducit:Hic verò ex sola nobilitatis , quamuis reuocabili , adquisitione , ob peculiarem rationem , iam sæpius relatam illam imponit. Minus officit opponere , quod Forus noster , derogatus existit,per dispositionem Fori vnici sub titulo, *quod Dominus Rex non posit facere Locumtenentem ipsius in Aragonia,nisi in certis casibus.* Nam respondetur per huiusmodi Fori dispositionem , nullatenus nostrum Forum derogatum fuisse.: in illo enim solum Domino nostro Regi,facultas eligendi Locumtenentem Generalem, quem voluerit in casibus ibi contentis conceditur ; non verò ibi,de Regente Gubernationis officium aliquid disponitur, cumque huiusmodi Magistratus,diuersus ab illo existat,vt ab omnibus(præcipuè nostratibus) est in confesso ; ille enim immediatè suæ Maiestatis repræsentat personam ; iste vero , Gubernatoris Primogeniti , sicque mediatè , Regiam demonstrat personam ; non rectè sequitur , Locumtenens Generalis potest

esse Nobilis ; ergo & Regens Officium Gubernationis, cum à separatis non fiat illatio, maximè nostra forali dispositione (vt dictum remanet) expressæ reluctante: imò & ab eodem Foro, quod Dominus Rex, iurisdictio illessa, dicto Regenti Gubernationis officium reseruatur; expressa enim sunt illius verba, ibi : *Sed quod Regens officium Gubernationis, & Iustitia Aragonum, & alij Officiales locales, & ordinarij vtantur dicta iurisdictione ciuili, & criminali, prout actenus consueuerunt facere:* & in finalibus illius verbis præcipit, ne ex illius Fori æditione, præiuditium aliquod, cæteris foralibus dispositionibus irrogetur, ibi: *Et alijs Foris Aragonum remanentibus in suis firmitate, & valore: Et quod ex hoc praiuditium aliquod eis nō fiat.* Quid quæso clarius ad percipiēdum, cōuincendumque, foralem nostram dispositionem, per allegatum Forum, quod Dominus Rex, derogatam non fuisse? Et deinde, si officium Regentis Gubernationis, cum officio Locumtenentis Generalis æquiparandum contendunt, ita vt quemadmodum Locumtenens Generalis potest esse Nobilis, ita & Regens Gubernationē, hoc eodē argumento probabunt etiam, exteros, Milites Ordinum Militarium, Episcopos, Archiepiscopos, Religiosos, ac Cardinales, posse esse Regentes officium Gubernationis ; omnes enim prædicti, possunt esse Locumtenentes Generales, & tamen nemo audebit dicere, quod possunt esse Regentes Generalis Gubernationis. Nec alicuius erit inconuenientis asserere, quod dato, quod Illustris Don Petrus Paulus Ximenez de Vrrea, ob Arandensis Comitatus successionem, inhabilis ad prædicti officij continuationem reputetur; adhuc tamen non potest, ab illius possessione, absque causæ cognitione, iudicialique sententia remoueri: fatemur, enim libenter, neminem posse, neç debeti, absque causæ cognitione, iudicialique sententia sua possessione priuari : Id namque, expressa vtriusque iuris

te-

testimonia proclamant, nostique Regni leges, sumopere commendant: Negamus tamen, Illustrem Don Petrum, prælibati officij, possessorem existere: Tum propter illius renuntiationem, ob adquisitionem qualitatis, eius obtentioni, & retentioni contrariæ, quo casu iuris, & facti (vt dictum est) inducitur vacatio: Tum quia, & ipse in libelli conclusione (cui absque dubio est standum) se non possessorem, expressæ confitetur, petit siquidem, sibi officiũ, eiusque emolumenta restitui, his verbis: *Y se le mande restituir al dicho principal de dicho Procurador el dicho Oficio de Regente la General Gouernacion, juntamente con los salarios, y emolumentos al dicho Oficio pertenecientes, para que los pueda tener, y gozar, deuidamente, y segun Fuero.* Si ergo ei officium restitui postulat, quo modo, & se illius possessorẽ potest asserere, cum rei actu possessę, non posit dari restitutio? Nec suffragatur, iam in libelli narratione, se possessorem asserere: Hoc enim nullam ei comoditatem præbet; Tum quia conclusioni est adhærendum; Tum quia, tamquam contraria allegãs, seipsum excludit, ad hoc, vt in huiusmodi iuditio, tamquam possessor debeat, & posit audiri, cum nõ in eo retinendæ interdicto, sed tantum recuperandæ possesionis, agatur ammissæ. Nec clausulæ petitionis salutares, aliquid operantur; istarum enim vires, ad contrarietatis casum, non protenduntur, & licet dici posset, deberi adhuc possesionem Illustri Comiti hoc in casu restitui; Cũ spoliatus, ante omnem contentionem restitui debeat; Non tamen nocet, cum prædicta regula non procedat, quando de iure communi, contra spoliatum est fundata, iniustæ possesionis præsumptio; neque etiam quando Iudici, per facti notorietatem constat, spoliato, non debere possesionem restitui: Cumque contra dictum Illustrem Comitem, non solum iuris præsumptio, verum & etiam, clara, foralis, expressaque dispositio existat, constetque per

no-

notorietatem, iuris, & facti, de non iure ipsius, nihil mirũ, quod contra dictam iuris regulam, possessionis restitutio denegetur. Præterea etiam, dato, quod prædicta non procederent, & verus esset Illustris Don Petrus Paulus possessor, non tamen dici posset in præsenti, illum sua possessione, absque causæ cognitione priuari; Quorsum enim tendunt citatio, libelli oblatio, exceprionis oppositio, actoris replicatio; Tum verbales, tum diffusæ scriptæ iuris allegationes, quę hinc inde propositæ fuere, nisi vt ex illis, noster instrueretur animus, causæ adhiberetur cognitio, & omni cum maturitate, & instructione, iudicialis promulgaretur sententia? Non ergo hoc in casu, dici poterit, Illustrem Comitem, sua possessione, absque causæ cognitione priuari cum omnia supradicta (licet sumariè, legitime tamen) præcesserint, sentẽtiaque iuditialiter proferatur. Nec officit, factum Deputatorum, quo Generalitatum Administratori pręceptũ (vt aiunt) imposuerunt, ne officij emolumẽta Illustri Comiti persolueret approbari. Nostrũ enim, dumtaxat est pro nunc, per sententiã declarare, an dictus Illustris Comes, sit pars legitima ad progressum præsentis processus, & an in eo vlterius, quam per cognitionem exceptionis sit audiendus: Hoc etiam solum, per nostram declaratur sententiam, vndè non absolutè in ea deciditur, Illustrem Don Petrum, non esse partem legitimam, nec audiendum, sed cum illo additamento, ad prosecutionem præsentis processus, & causæ, & ad vlteriora procedendum, sicque conquiescere poterit eorum animus, quibus durum videbitur prima fatiæ, possessorem officij, ad illius retentionem non audiri, seu partem legitimam non iudicari; auditus enim est iam Comes, modus solum audiendi, est circunscriptus, vt sufficiat sumaria exceptionis, cõtra eum opositæ cognitio: Et licet pars legitima, vere esset, ratione sui interesse ad agendũ, propter defectum tamen tituli, & actionis, ex suomet libello,

&

& exceptione opposita resultantem, non est iam pars legitima, ad litem prosequẽdam, aut in ea ad vlteriora procedendum: Latissimè enim patet, partis non legitimè exceptio, personamque, & actionem notoriæ deficientem comprehendit. Neque dictis obstat asserere, huiusmodi iuditium, possessorium esse, ac per consequens, exceptionem in eo, non admittendam, maximè partis non legitimæ, cum per eam causæ principalis merita, euacuari videantur. Hæc enim facile eneruatur difficultas aduertendo, quod quamvis à lege, Foro, seu statuto, exceptiones in aliquo iuditio, opponi prohibeantur, huiusmodi prohibitio, ad exceptiones notorias, & eas quæ incontinenti probantur, nullatenus extenditur: Hæ namque, numquam censentur exclusæ, etiam si per eas causæ principalis merita pandantur, maximamque tum naturalem, tum & ciuilem, æquitatis rationem, hæc pro se determinatio fert; non enim debet quis, & litium molestijs, & expensarum, damnis ab eo, qui nullum ius obtinet, affici: Cum igitur exceptio partis non legitimè ad prosecutionem in præsenti proposita, & notoria (vt infra dicetur) & incontinẽti existat probata, nihil mirũ, quod in hoc iuditio quantũcumque possessorio, admissa remaneat: maximè, cum non in eo, retinendæ possessionis, interdicto agatur, in quo posset difficultas militare; Imô autem in præsenti recuperandæ, & quamvis â Deputatis non proponeretur, cum ex narratiua libelli ab actore deducti resultet, adhuc excludi deberet, per exceptionẽ ex ipsa actione ab eo proposita resultantem. Nec etiam obstat Forus vnicus, titulo *De firmis iuris, super possessione*: Ex quo (vt asserunt) deduci videtur exceptiones declinatorias tantum, ante litis contestationem opponi posse: Forus namque non solum expressæ, declinatorias exceptiones ante litis contestationem opponi permisit; sed & etiam quascumque dilatorias processum impedientes, vt ex illius verbis appa-

ret,

ret,ibi: *E el Reo pueda, si querrà, oposar exceptiones declinatorias de preuencion, ò otras qualesquiere dilatorias a el pertenecientes, empachantes empero el processo.* Exceptio autem partis non legitimè, inter dilatorias à nostratibus connumerari, non est dubium, & ab aliquibus, etiam inter illas, quæ litis finitæ dicuntur, vtque dilatoria, in præsentiarum ante litis contestationem deducta inuenitur: nec aliter opponi posset; nam cum legitimationē personæ respiciat, si lis cum actore contestaretur, iam per illum actum, & legitimaretur, & approbaretur persona, sicque aduersus eam, exceptio postmodum, opponi nō posset: merito ergo tamquam dilatoria, processusque impeditiva, admittenda venit. Idemque de iure procedit, licet in effectu, causæ peremptoria existat: cum enim hæc notoria sit, potest etiam ante litis contestationem, in vim, seu modum dilatoriæ, & tamquam dilatoria opponi. Neque id dictus Forus prohibet, designando tempus, intra quod, debeant peremptoriæ opponi, in illis verbis: *E el Reo sea tenido, dentro termino de treinta dias continuamente, contaderos en su caso, del tiempo de la dita pronunciacion, è en su caso, de la fin de los ditos diez al Actor de suso assignados, a exhibir sus escrituras, ò en su caso, contaderos del dia que serà prestada la cauciō, sobre las expensas, dar firma, peticion, ò proposicion, si querrà, è dar, ofrecer, è proponer, todas las excepciones peremptorias, è defensiones a el pertenecientes, tocantes al negocio principal.* Loquitur enim de exceptionibus, quæ per modum defensionum, in Rei libello proponuntur, nonque in continenti probantur, sed postmodum, in termino ad probationes efficiendas constituto; Non vero de illis, quæ sine libello aliquo, sed in modum proprie exceptionis objiciuntur. Hæ namque, si notoriæ existant, aut in continenti probentur, in modum dilatoriarum, ante litis contestationem, deduci possunt; Idque predictus

non

nõn prohibet Forũs. Nec obſtat dicere, quod quamvis huiuſmodi admitti poſsit exceptio, non tamen poteſt ſuper ea pronuntiari, ſed ad diffinitiuam ſententiam cauſæ, tamquam intricatam, altioremque requirentem indaginem, deberi reſeruari; Nam reſpondetur, conſtituendo (cum communi Doctorum) differentiam, inter exceptiones dubias in facto, & dubias in iure; illas ad diffinitiuam reſeruandas; Iſtas vero ſtatim definiendas, communis indubitanter tenet: Cum ergo exceptio â Deputatis propoſita, nullum facti dubium contineat, imô ſi aliquod, eſt iuris, ſeu Fori, merito in diffinitiuam non reſeruatur, ſed cõfeſtim, per huiuſmodi noſtram ſententiam deciditur. Nec quidquam facit aſſerere, exceptionem, etiam iuris dubiã, & intricatam, facti dubij exceptioni, æquiparari, ſicque ſicut iſtam, ſic & illam, debere in diffinitiuam reſeruari; & dubietatem recipere (aiunt) ex replicationibus ab Illuſtri Comite propoſitis, & ex ſola negatione rem dubiam effici: Nam reſpondetur, obiectionem procedere poſſe, quando taliter eſſet dubia, & in iure intricata exceptio, vt peritos, & in iure verſatos turbaret; non vero ſi leguleos, & Doctorelos tantum; ſic enim nulla iuris eſſet exceptio, quæ non altiorem requireret indaginem, cum nihil tam planũ ſit, aut apertum in iure, quod in quæſtionẽ non poſsit reuocari, & ſubuerti; omnis enim in illo definitio, eſt periculoſa, & nihil inter homines adeo eſt indubitatum, quin non poſsit quandam ſolicitam dubitationem recipere: Vbi ergo dubietas, & obſcuritas, non eſt magna, ceſſat æquiparatio inter exceptionem iuris, & facti, multoque magis in præſenti, cum nec adhuc ſit dubietas probabilis: Nec per partis replicationẽ, ſeu negationẽ, exceptio dubia effici poteſt; ſi enim per negationem, ſeu replicationẽ dubia efficeretur, quæ in mundo eſſet exceptio clara? quæ non requirens altiorem indaginem? quæ non reſeruabilis? Certè nulla: Nam & ſi aliqua exceptio, non ſit dubia, nec involuta, ſed liquida, & clara, ſemper tamen cabiloſa, & tergiuerſata, Actoris replicatione, ſeu negatione

in-

innodatur; Non ergo obſtat actoris replicatio, ſeu negatio, vt exceptio dubia in iure, ac per conſequens reſeruabilis iudicetur. Tum & ex eo reſeruari huiuſmodi exceptio non debet, quia perſonæ approbationem, ſeu inhabilitatē reſpicit, ex notorio tituli defectu, & non debet quis cum parte non legitima, litigare compelli: Tum quia tāquam præiuditialis, de ea ante omnia eſt cognoſcendum: Tum quia in diffinitiua huius cauſæ, iuxta Forū de firmis iuris, ſuper poſſeſsione intentatæ, ſolum de poſſeſsione præcipue eſſet tractandū; atqui de ea iſto caſu, propter exceptionem oppoſitam, non eſt curandum, ergo nihil venit ad diffinitiuam reſeruandum: Tum etiam, quia reſeruata in diffinitiuam, eodem modo deberet pronuntiari, iuditiumque redderetur retro nullū, ſicque reſeruatio, & eſſet illuſoria, & partibus, ob litis, expēſarumque moleſtias nociba. Tum denique, quia omnes exceptiones, quæ litis ingreſſum, & per exceptionem progreſſum, impedire poſſunt, ſi incontinenti probentur, non ſolū debent admitti, verum & etiā Iudex, ſuper eis pronūtiare tenetur, ſi enim odie conſtat, odie agatur, & odie decidatur; Iudici enim tamquam Principis perſonam repræſentanti, & lites cōpetit decidere, & eas brebiter interſecare, & hāc maximè in præſentiarum, nam officij huius ceſſat exercitiū, adeo in Regno iſto neceſſarium, vt quam plurima damna naſcantur ex dilationibus, contra debitā iuſtitiæ adminiſtrationē, & ſi propter ignabiam, & ſocordiā, & quia exoſſum habuiſſemus laborem, deciſsionem huius cauſæ procraſtinantes, non tam exceptionem, quam laborem (vt cōmuniter fieri dicunt DD.) in diffinitiuam reſeruaremus, æternam in iuditio vltionem, pertimiſcere potuiſemus. Ex quibus omnibus provt in ſententia pronuntiatur. Et alias Att. cont. &c.

SIG†NV̄M mei Bartholomæi Terrer, Ciuis Ciuitatis Cæſarauguſtæ, & in ea domiciliati, authoritateq; Regia per omnes Terras, & ditiones Dn̄i n.ſtri Regis publici Notarij, & Secretarij Subſtituti Conſilij Curiæ Illuſtriſsimi Dn̄i Iuſtitiæ Aragonum, qui huiuſmodi vota & motiua ab originali libro dicti Conſilij, vbi continuata exiſtunt de anno ſupra calendato, extraxi, comprobaui, & ſignaui. Approbo ſuprapoſita, vbi legitur, Regiatis, Iuſtitiæ, vt peritos, ſeu negationem, approbo etiam emendata, a, que, in mundo, & approbo aſsimili raſsa reſcripta, vbi legitur, t, o, & c.